Vultus est Animi Index:

Genium Authoris Effigies Ostendit, *Spiritum* Libellus,
Viri, Plurimis Invisi, Benevoli Vniversis;
Nil Odio prosequentis præter *Inhonestum*,
Nil Charum habentis præter Gratiam, & *Incolam*
(Sui, DOMINVM

Peccatorum Maximi,
Qui nempe

Amantem Sentiens DEVM sæpiùs Fugit:
Pulchrum Cernens Pietatis Vultum,
Pravas avidè appetivit Voluptates,
Quas diu expertus est
Tenui, & labente Lætitiâ perfusas
Anxias intus, & Molestas esse.

En, Lector, Ænigma Αἴνιγμα: Vir Pius, & Valdè Impius,
Sibi, & Aliis Ignotus
Soli DEO Cognitus:

Cui Per Seipsum Exosus, Per CHRISTUM Amatus
Exuens Seipsum, CHRISTUM Induit:
In Illo Solatur Plorantem Animam,
In Illo Abscondit Turpem.

Vultus est Animi Index:

Genium Authoris Effigies Ostendit, *Spiritum* Libellus,
Viri, Plurimis Invisi, Benevoli Vniversis;
Nil Odio prosequentis præter *Inhonestum*,
Nil Charum habentis præter Gratiam, & *Incolam*
(Sui, DOMINVM

Peccatorum Maximi,
Qui nempe

Amantem Sentiens DEVM sæpiùs Fugit:
Pulchrum Cernens Pietatis Vultum,
Pravas avidè appetivit Voluptates,
Quas diu expertus est
Tenui, & labente Lætitiâ perfusas
Anxias intus, & Molestas esse.

En, Lector, Ænigma Αἴνιγμα: Vir Pius, & Valdè Impius,
Sibi, & Aliis Ignotus
Soli DEO Cognitus:

Cui Per Seipsum Exosus, Per CHRISTUM Amatus
Exuens Seipsum, CHRISTUM Induit:
In Illo Solatur Plorantem Animam,
In Illo Abscondit Turpem.

M I S C E L L A N E A:

SIVE

MEDITATIONES, ORATIONES

etc.

Authore EDMVNDO ELISIO,

Oxford: 1662.

MISCELLANEA

Authore *EDMUNDO ELISIO*, A.M. Coll: Bal: apud *Oxonienses* quondam socio.

Εμοὶ μὴ γένοιτο καυχᾶσθαι, εἰ μὴ ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ. δι' οὗ ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται, κἀγὼ τῷ κόσμῳ. *Epist: ad Gal: cap.* 6. *v:* 14.

Εἰ προκόψαι θέλεις, ὑπόμεινον, ἕνεκα τῶν ἐκτὸς ἄνους δόξαι, καὶ ἠλίθιος. *Epict: Enchir: cap.* 18.

OXONIÆ,
Excudebat Hen: Hall, Academiæ Typographus, Impensis Tho: Robinson. 1662.

MISCELLANEA

Clarißimo Viro,

Magno Reipublicæ Ornamento,

EDMUNDO FORTESCU

de Fallapit in Comitatu Devoniæ,

Militi,

EDMUNDUS ELISIUS. *S.P.D.*

HOs *Animi Partus,* AMICE *Clarißime, Tibi ante omnes Dicatos velim, qui Parturientem Cognôßi Animum; ideoque non poßis non Veros Agnoßcere, adeo Parenti Similes.* GRATIAM Acceptam Ingenitæ *Pravitati Adverßantem Libellus hic indicat, in* DEI *Gloriam,*

216

& nonnullorum, ni fallor, Hominum Solatium. De GRATIA nemo unquam desperet, cùm Monstrum horrendum, nullis *non Vitiis Deformatum Me Viderit VERBI* Semine *de Novo* Procreatum, *& in arctiores DEI Amplexus receptum.*

Vale, CHARISSIME, & perge semper ea facere; quæ, Magna adeo, Populus non Capit.

LECTORI.

EX quo primùm Se Mihi Deus clariùs Oſtendit, & *Dulciſſimum Verbum guſtandum* præbuit, cætera omnia *ſordida* adeo, adeo *inſipida* expertus ſum, ut intentiori cogitatione dignum nihil æſtimaverim, niſi quod Deum Spectaret, & *Divinæ particulam auræ*, Animam meam. Hinc, qualecunque ſit, *Ingenium* meum, Poëticum, & Oratorium *Acumen* Studiis ſeverioribus applicavi: non æquum putavi Christianum Me *Errantium* veſtigiis diutiùs inſiſtere, *Exemplo malo* eouſque adduci, ut, in Oratione componendâ, alióve Scholaſtico Exercitio, *Auriculis alienis eſcas colligerem*, inani *voluptatis* imagine *ſenſus deluderem*; *joculis* ſcil: & elaboratis *Scommatis*, aliiſque hujuſmodi *facetis* ineptiis totam implens paginam: malui Ego Adoleſcentium Animos Re aliquâ honeſtè Placidâ fovere, *ſanâ* Veritate nutrire: ſperans nimirùm eâdem operâ Mihi pariter & iis prodeſſe: dum ſcil: rudes, & incultas *Notiones* meas, aliis exhibendas, ab imâ quaſi Mente eduxi, & Verbis aptandas accuratius expolivi; Mihi etiam quodammodo *Per-*

ſpectiores reddidi: quo magis *Vitiorum* odio flagrarem, & amore *Virtutum*.

Paucula iſtiuſmodi Exercitia in manibus habes; quæ, ni fallor, ſi *præjudicio* remoto, perlegas, atque iterum, iterumque *mente revolvens*, quamlibet *Materia* particulam penitus inſpicias, non (*Scurrarum* more) *riſu* excipies, ſed *Gemitu* potiùs: utpote, quæ tibi Animam oſtendunt anxiâ Peccati *Fugâ*, & tantùm non fruſtraneo Sanctitatis *Deſiderio* laborantem. Diu, diu fateor, —*Hæſit lateri lethalis arundo*, ab horrendo illo Animarum Hoſte fortiùs adacta: diu inquam *luctantem* Me jugo preſſit Peccatum Meum. Ah, quoties, quoties, *invitâ* quodammodo ipſâ *Voluntate* mala perpetravi!

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in CÆLUM.—

Poſt tot, & tam graves Relapſus in *viam Peccatorum*, poſt tot *luctuoſas* de Me *Victorias*, Me *Vici*, Lector, & quaſi in *Exilium* miſi: nunc Ego Non Sum Ego. Affectus meos turbidos, & moleſtos ſuperans, quibus antea *Vexatus toties* ſueram, Εὐσυμίαν quandam, *animi concordiam* acquiſivi:

—*Placidâ compôſtus pace quieſco.*

Fateor autem, *Rebellant* aliquando *Triumphati* Hoſtes, & *Pacem* illam, ſerenam Animæ temperiem *perturbant*: at, quâ ſolâ innitor, JESU Mei *Ope* citiùs proſligati Nova quotidie præbent *Spolia*: ſcil. è *Tenebris* iſtis, quas ſibi offundit Sceleris *inteſtini* Conſcius Animus; *Clarior* elucescit SOL JUSTITIÆ: non adeo in eo *gaviſus* eſſem Salvatore Meo, niſi per *iniquitatis* meæ conſcientiam Me-

Meipsum vidissem Perditum: non adeò *Virtutem* ipsius expertus essem, nisi in *Infirmitate* Meâ: imò in hoc etiam CHRISTO Conformis mihi videor, quòd & adhuc Me cerno *Tentationi* obnoxium.

At, at! cur non summâ utar libertate loquendi? cur CHRISTIANUM Me CHRISTI Puderet? cur *incolam* Mei SPIRITUM SANCTUM, quasi in *Arcana* Animi *Penetralia* concluderem, nec in *Aperto* cum Illo *Ambularem?* Erumpe tandem, Anima mea, totumque hoc Mundo Ostende, quod adeò juvat in Teipsâ Spectare. Vide, Lector, quid sit id in *imo* clausum *pectore*, unde proficiscuntur Actiones illæ meæ, quæ nonnullis quodammodo *Monstrosæ* videntur, & Mihi ipsi *Dissentaneæ*: utpote, quæ ab occulto illo, & plerisque ignoto, *Motus Principio*, Novâ NATURA, profluunt. CHRISTI *Imaginem* quam *Digito* DEI in animo meo Depictam video, Mihi unicum proposui Vivendi *Exemplar*: nec Actionem aliquam *Imprudentem* agnosco, nisi in eo tantùm, quo Illi *Dissimilis* habeatur. Ad MONTEM DEI pervenire anhelans festino: *Summa* Pietatis *Fastigia* assequi annitor. Divitias, Honores, cæteráque omnia (ut *Ethicè* loquar) *Fortuna Bona* (nisi egregiè meus me fallat animus) ΚΑΡΔΙΟΓΝΩΣΤΗΣ Deus loquentem audiat) non aliâ ratione cupio, quàm ut mihi sint Virtutis exercendæ Instrumenta, quam ut iis, quasi *machinis* meis, aliorum animos Vitiis suis adhuc inhærentes, *dimovere* possim: hæc autem tali usui inservire posse jamdudum novi, Exemplis quidem non paucis edoctus: nempe cùm in iis rebus, quas *Populus* admiratur, exerat sese Morum Pulchritudo, ut in pecuniis, & honoribus, &c. fortiùs allicit eorum animos, & sibi magis intentos reddit. At, nè multis agam: breviter sic explico tota præcordia: sic intimam mentem excutio. *Fide* meâ

Vici Mundum: adeo intenta eſt Cogitatio mea *Gloriæ* Cœleſti, quam per CHRISTUM ſuum mihi DEUS promiſit, adeo etiam *Invidiæ*, & *Opprobriis*, quæ CHRISTUS ille in Terris pro me paſſus eſt, ut Ego quidem nec Mundi *Opprobria* metuero unquam, nec *Gloriam* expectavero. O, quàm exultat mihi Animus, *Spem* omnem Terrenam, *Metumque* ſuperans! ſic, partâ de Mundo *Victoriâ*, non poſſum non *Triumphos* agere. Jam neminem inimicum habeo: nemo mihi nocere poteſt: ſpero equidem, in aliquibus malis jam diu verſatus, nulla poſſe mala accidere, niſi quæ Mihi tandem in bona evaſura ſint: Aſperrimis laceratus Opprobriis *illasâ patientiâ* fœlix gaudebo: crede mihi, Lector amice, quamlibet injuriam facienti placidè ignoſcendo, majorem inde lætitiam percepturum me ſpero, quàm ex ipsâ injuriâ moleſtiam.

Age nunc, *Invide*, me ſtolidum, ſuperbum, imprudentem voca: bonam illam, quæ Bonorum quorundam animis infixa eſt, de me Opinionem ab imis radicibus tenta evellere: Culpas mihi objice vitâ præteritâ commiſſas: nempe *Fervente* Juventute, *Flammulis* ſuis, (fateor equidem, heu! lugens fateor) Iracundiâ *Furioſâ*, aut aliquo alio *ardentiori* Affectu, omnia corripiente, Objectum quodque ſubitò faciente *Ignis* ſui *Fomitem*: has, inquam, mihi Culpas objice; aut quibus adhuc obnoxium vides: ex iſtâ *Malignitate* mihi maximum emerget *Beneficium*: dum *Lapſus* præteriti meminiſſe coges, in futurum *fortiùs ſtabo*: *Infirmitatis* præſentis memor, ad augendas *Vires* me totum accingam. Quod Libellum nunc editum propiùs ſpectat: edidi quidem hâc fretus fiduciâ: Adoleſcentium plurimorum animis eſſe cupidinem excitaturum in Orationibus componendis, vel quovis alio *Inventionis* ſuæ Exercitio (adverſante licet (proh dolor!

dolor!) tantùm non omnium Exemplo) hoc ipsum faciendi, qnod Me Scio rectè fecisse. Jam Vale, Lector: &, si *Pius* es, si verè CHRISTIANUS (quem semper colendum habeo, cui soli * *-incoctum* (est) *generoso pectus honesto.*) pro me, quæso, Preces effundas: ne unquam *Multitudinem* Sequar, sed DEUM: nè Mundi *laqueis* capiar Diaboli *præstigiis* (cum *vulgo, Improborum turbâ*) deceptus: ut qui Animum CHRISTIANUM (more quidem inusitato) profitentem Me impiè *derident*, misellos *defleam*: ut denique *Nihil* unquam *Opinionis*, *omnia conscientiæ causâ faciam.* Vale, *Lector*, & mecum semper ÆTERNITATEM Cogita: DEUM Spira.

* Pers.

Ad Amicissimum *E. E.* Miscel: Authorem.

Ουσβέσιν ὀρανίδου ζάθεον ἀπινθῆρα νόοιο
Κύματα μαινομένων παθέων: ὁ Ποντογενείης
Αἰθομένας προφέρεις δαΐδας, μᾶλλόνδε φαεινὸν
Αὔχνον Ἐπικτήτου μεγαθάρσεος: ὀτε μιαίνεις
Παρθενικὰς φίλτρῳ σελίδας: νόος ἔλλαχεν ΥΨΟΣ
Αἰετόεις, κήρυξε βροτοῖς μεγαλεῖατε θείης
Ψυχῆς βαπτιθεὶς ἱερῷ πάρος εἰν Ἑλικῶνι,
Εἴκονα εὐφυΐας τετεᾶς διέγραψας ἐν ΥΨΕΙ.

Pungente homines stylo
Erubescat pagina.
Salvo homine tui recîdit vulnus
Ingenii acies:
Nec toxica effundit Calamus
Acutus sanè, non aculeatus.
Moribus vivere malles, quàm more:
Alienam agit vitam sæculi vivens genio,
Et Extrà se quærens Exul:
Seipsum perlegit Stoicus:
Et statim
Sphalmata corrigit.
(*Arctatur humano Cortice* malorum Ilias)
Vitiorum speculando contrahit imagines,
Non vitia:
Quidni istas dicam Idèas
Mentis Harpyiarum (a) *Telesmata?*
Aut Animalis Paradisi (b) Μορμολύκεια.
Perpendat Lector,
In anoche, *&* apoche
Passionem, & quadragesimam,
Epictetum, Arrianum, Simplicium,
Stoæ olim incolas
Jam Portæ Proselytos.

(a) طاسم Arab: est Imago magica sub certo Horoscopo insculpta & Consecrata ad rem ipsam fugandum. Dicuntur etiam τελέσματα ὀυράνια στοιχεία unde στοιχειωματικοὶ qui imagunculas Concinnans mirabili sæpe eventu *Cæl. Rhod. Lect. Antiq. lib.* 1. *c.*15.

(b) Spectra in Paradiso formidabili formà quæ terrebant Adamum nè illuc rediret.

THO: PRICEVS. A.M. *C.B.S.*

Κύριε ἐλέησον

HEU! Anima mea! quàm *gravia* Tibi Peccata incumbunt! En teipſam, ſub eorum *Pondere* ad *Inferos* ruituram, nî ſummus ipſe Peccatorum *Vindex*, ſuccurrat DEUS! *Diabolus*, quem *ſecutus* ſum, miſerum Me in æternum Cruciabit, nî *Deus*, cujus *Vocem audire* nolui, Tutelam præſtet. OMNIPOTENTIA, & JUSTITIA, *Hoſtem* ſerva, Defende *Reum*! JESUM Aſpice *Sanguine* ſuo Me *Redimentem*, & *Animam* mihi redde, *Iræ* tuæ Debitam. At, eheu! JESU Clementiſſime, quàm tenuis ſit mea *Fiducia*, Te Mihi *Mortuum* eſſe, qui ægrè fero Tibi *Vivere*! Æquiſſimum eſt, ut *Vitam* meam Tibi tribuam qui Mihi dediſti Tuam, Quouſque tandem *Peccatum* ipſum in *deliciis* habebo, quod SALVATORI meo peperit tantas Ærumnas! quouſque tenebo *Sordes* iſtas ad quas eluendas ê Latere ſuo AQUAM effudit! Proh dolor! uſque adeo languet *Æger Animus*! *Moribundi* inſtar, *Stupet*: ipſum, non *ſentit*, quem Patitur *Morbum*! Peccavi miſer, nec poſſum (*ob duritiem Cordis*) Remiſſionem petere! per iſtam *Ægritudinem* — *Vox faucibus hæret*; nec

poſſum invocare MEDICUM! Ecce, CREATOR, miſellam Creaturam! niſi *Ope Tuâ*, *Opem* Tuam *implorare* neſcio! *Orationem* Dictet *Spiritus* Tuus, Tibi proferendam. Si *Vox* noſtra, *tenuis* adeo, & *languida*, ad Aures tuas pervenire nequeat, *Audias* eam, CHRISTI Tui *Sanguinis* (*Præſtantiora loquentis, quam Abel*) *Voce* Repetitam: *Miſerere mei!* miſerere mei, *inimici* Mihi! *Venenum Sitientis!* Intimo *Sinu* foventis Noxium ANGUEM! ſumma cupidine illa amplector, quæ *Vexant Spiritum* meum! Gaudeo ſemper illa faciendo, quæ facta doleo! Omnia nimirum quêis anxiè ſtudeo, aut fas ſit negligere, aut nefas perpetrare! Terreſtrem *Voluptatis Imaginem* Deperit Anima mea, ut ſui *ſpeciem* NARCISSUS: quâ ſcilicet cùm Frui nequeat, perpetuo Langueſcit *Deſiderio*: in ſummam Mihi Calamitatem evadit *Fælicitatis* hujus inſana Cupiditas! non appeto quæ Bona *ſunt*, ſed quæ *videntur*: adeoque *Spes* noſtra eò tantùm mentem *Effert*, ut Detrudat! Quicquid Ago, *Brutorum* more, *Sentio* tantùm, non *Intelligo!* In iis verſor miſellus Ego, quæ *Placent*, non quæ *Juvant!* *Lætitiam* quæro, non *Gaudium*! *Febricitans* Anima, IMPOSTURÆ *Poculum* (quod CEBES memorat) avidè *imbibendo*, eodem tempore *Oblectat* ſeſe, & *Perdit*! Laborantis interim *Conſcientiæ* Querelis continuò Obſtrepit *Vitiorum* Clamor, huc, illuc Vocantium: quæ Cogitationes omnes ad *Exteriora ſeducunt*; quo minus unquam in *Me* recedam, & *Mea*, *Curem*! Sic (quo me totum in *incendium* dedit NATURA) CONCUPISCENTIÆ *Igne Fumoſo* Obvolutus, non niſi *Cruciatus* in eo Moror, nec *Video*, quà *Evadam*! At, Tu *Pater Luminum*, Fulgore Tuo diſſipa *Fumum* iſtum! Tu *Pater Miſericordiarum* Miſerere mei: ut Te *Cernam*, *Salutem* meam,

qui

qui jam *Cæcutio* ; ut per *Viam Præceptorum Tuorum*, ad Te *Veniam*, qui jam *Claudico*! Hoc Oro, per JESUM CHRISTUM, Dominum noſtrum, AMEN.

---

* Σκίας ἠδονῶν, καὶ παραχρῆσις. SIM: in Epict: Enchir: p. 46.

Meditatio MORTIS.

QUI Mortem Contemplatur, Vitam Æternam *Proſpicit*, per ipſius *Fanuam*. Non eſt quòd Nos ſpectatæ terreant *Nigræ Parcæ*, ut *Umbroſus* ad Cœlum Tranſitus: nam ipſe SALVATOR Aſcendit in *Nube*. Haud amplius Deflebo *Amicorum* Obitum: Tenent illi, quod ego Cupio: non ſunt Mortui, ſed *Dormiunt*: Adventante PHOSPHORO, *Reſurgent*: & in æternum Beatæ eorum Animæ Corpora ſua, quaſi *Veſtes*, induent. Fœlicem MEUM! qui *Terras* relinquit, ut Ceſſet *Peccare*: cui nimirum *Clauduntur Lumina*, nè *Reſpiciant Vanitatem*. Omnipotenti MEDICO confiſus, Amarum *Poculum*, inſtar *Catapotii Potavit*, & *Expuit*: ut ille Cæſar, Hoſtes ſuos, Mortem *Vidit*, & *Vicit*: &, DEO *Spectante* jam *agit Triumphos*. Sic *Mori Lucrum*: Sic juvat Hâc vitâ *Nudari*, ut *Immortalitatem induamus*.

Exurge

Exurge tandem *Aligera* Anima, & quasi jam jam ad *Quietem* tuam evolatura, *Æternitatem cogita.* Divini *Spiritus* afflatu usque, & usque sublimiùs enitendum. *Aquilina* Acie *Cœlum* Aspice: alto *volatu* delecteris: breves sint in *Terris* Moræ. Avidâ Expectatione in occursum Mortis Venture quotidie Exeas, ut *desideratissimæ* Hospitis, nempe quæ sola tibi palam Ostendat *Sponsum* Tuum; quem *Diligis*, Anima mea. O Fœlicem *Summum Diem*! quem mihi Serenum dabit SOL JUSTITIÆ, qui Radiis plus solito effusis *illuminabit Tenebras meas*: Metum omnem, & Horrorem fugabit. In *Umbra Mortis*, quasi *Densa Nube*, Veniet ad Me DOMINUS: nec *Legem* ferens, sed *Evangelium*: Tunc enim Apertis Oculis & Ego inspiciam *Librum Vitæ*, cui (proprio Scriptum *Sanguine*) JESUS ille φιλάνθρωπος *Nomen* meum indidit. Quâ Fide innixus haud aliter Mortem horreo, quàm *Severum Medicum*; qui non sine *Torturâ* quâdam solet *Mederi*: quasi vero *Congregatos Dolores* penitus Extirparet. Sic & ipsa Mors, quæ *Militiam* nostram perficit, & *Sedes Quietas*, ostendit, quæ Unica fit Terrorum omnium, & Luctuum Medela maximè Terribilis videtur: ac si nimirum in Extremo Die eò Nos invisèrent benè Noti *Dolores* ut *Valedicant*. Consolantur interim Lugentem Naturam Sanctorum *Animæ*, & relinquendis Corporibus quasi *Reditum* promittunt: nam Hæc etiam Fracta, & Soluta Reficiet ille *Communis Conditor*: cùm totus *Flagrabit* Orbis, *Eliæ* ad instar, *Flammis* involuta rapientur in *Cœlum*: nec aliud Illis videbitur Horrendus *Ignis*, quàm *Mortuæ* MORTIS *Rogus*. Sic, dum Obimus Mortales, *Membra* nostra non Abjicimus, sed Reponimus: nec Animæ *Conjux* in ipso Sepulchro *Divortium* patitur: perstat *Conjugium*, at non *Societas*; quæ tantùm *Cessat*, non *Perit*. Scilicet dum Fatis concedimus, *Dissolvi-*

mur

mur, non *Diffringimur*: nec ipſa *Mors* ſit *Interitus*. Hæc Cogita, Devota Anima, nec ægrè feras relinquendam Vitam: ex ipſo Sepulchro *Reſurgemus*: ex ipſis *Cineribus*, *Phœnicis* ad inſtar, Beati Oriemur, *Iidem* ſimul, & *Novi*. Quod ut fiat, Adeſto Mihi VITA, Chariſſime EMMANUEL: *Vitali Aurâ* non Vivimus, ſed Tuo *Spiritu*.

Virtus ſola Nobilitas.

SOlus æſtimetur NOBILIS, qui proprio *Lumine Clareſcit*, cui VIRTUS præbet *Inſignia*: nempe qui ab ipſo Cœlo deducit *Originem* & Deum *Patrem* vocat. *Sordeſcit* Purpura, vitiorum maculis inquinata: Nec Honore dignemur, qui *Fortunæ* Bonis Fruitur, ſed qui *Suis*. Illi nimirũ *Potens* habeatur, & *Opulentus*, qui *Poßidet Animam* Suam, *Rectâ Ratione* Servatam: qui Omnia Sua Secum Portans, nec Furem timet, nec Hoſtem, ipſe Sibi *Theſaurus* & *Cuſtos*. Deſpicit *invidendam Aulam*, & *Divitias Operoſiores*, qui *Altum Sapit*, nec *Sortem* aliam Optat, quam *Immortalem*. Qui Virtute Heroicâ SE *Vincit*, ſpernit ipſa Cæſaris *Trophæa*: Huic parata eſt Terreſtris Gloria, at Ille *Triumphabit*

in Cælis. Qui OPTIMUS audit, audiat & MAXIMUS: cui nulla Vitia Dominantur, Majorem reputemus ALEXANDRO MAGNO: etenim Hic Mundi Victor, *Ebrietate* Victus, Amici *ſanguine* delevit, quos Hoſtili, ſibi adſcripſit, Titulos. Nemo *Nobilium* fit Sui *Servus*. Qui propriæ Libidini *Famulatur*, Honorem minime Capit, licet Oblatum: nec vulgi *Plauſus* aliquem Attingit, niſi *Integræ* Conſcientiæ *Echo Reſonet*: nempe Veri *Tituli*, & Honorum Inſignia ſolum Scribuntur in *Animi Tabulâ*, quam nulla inquinavit Sceleris *Litura*: Illi ſiquidem parta eſt *Nobilitas*, qui *Regis Regum* AULAM intrabit.

Interioris Hominis Suſpiria.

Video aliam legem in Membris meis. &c.

ME Miſerum! Variis torquentur Pectora Votis:
Diſtrahit Affectus Lex *ea* Dupla *meos!*
Sic Diviſa *capit* geminum *Mens ægra Dolorem*
Lex *poſcit* pœnas *utraque læſa ſuas!*
Servulus *infœlix Peccati* Vapulo! Flagris
(Heu miſer!) Infeſtis Oſcula *ſæpe dedi.*
Scilicet ingratum temerè ſinus accipit ANGUEM;
Auro *ſplendenti nigra* Venena bibo:
Deliciis Premor ipſe meis: ſceleriſque nefandi
(Blandulus hic Ignis) Lambit & Urit *amor!*

Eheu!

Eheu! Captivum *mea me* trahit *uſque* voluptas!
Excruciant animum Gaudia prava meum!
Hoſtis & ipſe mihi, Victus, Captuſque Triumpho
Ingemit at ſpoliis *mens mea ſana ſuis!*
Vulnera *tot paſſus mea* Vulnera *reſpice* Jesu!
Ut mea ſanentur, Tu Mihi redde Tua!
Corda Tuo *mundes* proprio *fœdata* Cruore!
Tu mihi da Pacem, *Mi Deus, ipſe tuam!*

Man that is borne of a woman is of few dayes, and full of trouble. *Iob.* 14.1.

1.

Our time's ſtill Flying: *and we all make haſt*
To Live our laſt.
We come into the world to See't; and then
Go out agen.
We are borne Crying, *and we ſpend our Breath*
In Sighs *till Death.*
Our life is but a Toyle: *ere we can Trie*
What courſe of Life is beſt 'tis time to Die.

2.

The Merchant waſts himſelfe with fretting cares,
With Hopes and Feares:

And when his Bagges are fill'd, his Laſt Day *comes;*
He leaves his Summes.
When he would joy in what his Paines have got,
Straight he is not.
By all the Care wherein his life is ſpent,
Perhaps he gets a Coſtly Monument.

3.

The Scholar bends his Curious Thoughts to find
What is the Mind.
He ſtudies to know Good *but ſeldome Does*
The Good he knowes.
Some winding up *their wit to an High* Straine,
Have Crackt their Braine.
He that's moſt learned only comes to this
To Know at laſt how Ignorant he is.

4.

The Ranting Gallant weares out Time and Cloathes,
To learne New Oathes:
He ſcornes to take Affronts, *but thinks it Brave*
To be Hell's *Slave.*
The Country Farmer's thinking night, and day
Of Corne and Hay:
But Hawkes, *and* Hounds *are for the better ſort,*
Who loſe *their time in Seeking of their Sport.*

5.

In ev'ry Action, whatſoe're it is,
Something's amiſſe.

We

We ne're Obſerve a Mean: *we* Run *and* Sweat,
Or can't get Heat:
Some Bitterneſſe *ſtill interrupts our Joyes,*
Or Too much Cloyes.
Our Choiceſt Comforts are inlai'd *with Feares;*
And all our Pleaſures Sprinkled o're with Teares.

6.

Amid'ſt this Trouble *here's My Hope, that I*
Shall ſhortly Die.
Our Time Ore-caſt *with Sorrow ſoon Decaies,*
Like Winter-Daies.
W'are Pilgrims here on Earth: This is our way,
No Place of Stay.
The Way's Unpleaſant: come, Death, be My Friend;
And bring me quickly to My Journy's End.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. Iob. 14. 1.

1.

TEmpora diffugiunt: Breve ſit Mortalibus ævum:
Cedite Fatis.
Spectatum, ingredimur Mundum: Viſumq; repente
Linquimus omnes.

Naſcimur in Lachrymis: Abit in Suſpiria langũens
Spiritus ægra.
Magnus Vita Labor: priùs & quàm diſcere poſſunt
Optima quæ Vitæ Ratio eſt, Mors Omnibus inſtat,

2.

Curis *Mercator* ſeſe mordacibus urget,
Speque Metuque.
Extremus venit ecce Dies: cùm plena Crumena eſt
Omnia linquit,
Sperantem Rebus jam nunc gaudere paratis
Mors *rapit* ipſum.
Per totos quibus hæc Vita eſt conſumpta Labores,
Clarum Defuncto Funus fortaſſe paratur.

3.

Noſcere Quid *Mens ſit*, ſtudioſâ *Mente* laborat
Philoſophaſter.
Scire *Bonum* cupiens Bona quæ Scit rariùs ille
Ritè peregit.
Nonnullis Genii Cerebellum *Intenſio* Frangit
Ingenioſis.
Et cui contingit *Doctrinæ* ſcandere Culmen,
Doctiùs Ignarus Nihilum Se Noſcere Novit.

4.

Magniloquo *Juvenis* dum volvit *Nomina Sacra*
Turgidus Ore,

Lædi

Lædi Turpe putat, Vitiis Servire paratus
Turpibus ipſe.
Ruſticus herboſos, & cultos Cogitat Agros,
Nocte, Dieque
Sunt queis Venari Leporem ſit ſumma Voluptas
Quem dum *perquirunt miſeri* ſua Tempora perdunt.

5.

Quicquid Agit Mortale Genus non crimine ab omni
Parte carebit.
Negligitur *Medium*: Nimius *Calor* his nocet, illos
Frigus adurit.
Lætitia eſt ſubitò nobis *Expulſa* Dolore,
Vel Nimia *Exit*.
Gaudia continuo ſunt perturbata Timore,
Et Lachrymis tandem perfuſa eſt quæq; Voluptas.

6.

Sortem Ploranti Triſtem ſpes iſta refulſit,
Me Moriturum
Quàm ſimilis Vita eſt Hiemalibus iſta Diebus,
Atra, *Breviſque*.
In Terris Peregrini Omnes Patriamque requirit
Quiſque Piorum.
Sed Via Difficilis, per quam contendimus illuc;
Mors adſis; Patriâ tandem nos Sede reponas

Good

Good Friday.

1.

This day Preſt with our Sins, the Most High Fell.
Leaſt he ſhould Feed on us, *Chriſt* Satiates *Death*
With his owne Bloud: *Quenching the Flames of* Hell,
Enkindled by the Fire *of's Father's VVrath.*
To make Atonement for our Sins God *Dies:*
Our Jeſus is God, Prieſt, *and* Sacrifice.

2.

Lo, how the haſty Jewes cry Crucifie!
Lo, how they judge the Holy One *to Death!*
VVhoſe Attribute is Immortality!
Lo, how they Murther Him who gave them Breath:
The King of Glory *Suffers* Shame: *and He*
That Made the VVorld is Hang'd *upon a* Tree.

3.

Lo, how they Naile unto the Croſſe His Hands;
VVho Spans the Heavens! *how his Feet they Pierce,*
VVho over Hell, *and* Death *Triumphant ſtands:*
VVhoſe boundleſſe Preſence *fills the* Univerſe!

How

How the ALLMIGHTY *ev'ry varlet ſcornes;*
Lo, He by whom Kings Raigne *is Crown'd with* Thornes!

4.

Lo, how they Wag their heads *and Mock Him there,*
Where He Feel's All His ſo long Fear'd Diſtreſs.
His Torments are ſo great as Man *can beare,*
The Angry God-head *will not make them leſſe:*
When He thought that ſtood off, *Griefe fill'd his Heart:*
Curſt Sin! for which GOD, *and* CHRIST *ſeem'd to Part!*

5.

He Bow'd his Head, *on which ſo Heavy lay*
The Sins of Adam, *and all* Adam's *Seed;*
Which by His Death *He did* Revive *this Day;*
To Heal *our wounded Soules his Limbes did* Bleed.
LORD, *I believe; let me Partaker be*
Of Thy Deaths Power that I may Live to Thee.

EASTER-Day.

1.

OUR LORD *is Riſen; and the Powerfull Grave*
Holds Him no longer; He hath made his way
Even through the Gates of Death, *that He might ſave*
His Heav'nly Fleſh from turning into Clay.

The

The Grave *knew not whom he had taken, when*
He saw who 'twas, he let Him out agen.

2.

Upon this Day the Sun's *Creatour* Rose,
And the Eternall Life *came from the Dead:*
He that made Ours did His blest Eyes Unclose,
And saw the Place where his owne Corps were lay'd.
Death Conquer'd *thus, He lay'd his* Grave-Cloathes *by,*
As Trophees *of his Signall* Victory.

3.

I know not whether may more strange be thought,
For God *to Die, or* Man *to* Rise agen:
Our Holy Jesus *made both True. He Fought*
The Lion *Death even in the Grave, his* Den.
And thus he Enter'd the Strong Bounds of Fate,
Not as Led Captive, *but to* Captivate.

4.

The King of Terrours *now has lost his Power,*
And is become a Servant unto all,
Who will but imitate their Saviour,
Who made a Triumph *of his* Funerall.
And now Hee's up me thinks I hear him Say
To all that Die in Him, Rise, come away.

ASCENSION-Day.

1.

WHo on the Water *VValkt, now Climbes the* Aire;
And without Dying *thus He* goes to Heaven:
Although His Habitation now be there,
Yet we on Earth *are not of Him bereaven.*
He's like thoſe Lights *which in the Skies appeare,*
Though there His Body *be, His* Raies *are here.*

2.

Now He's Aſcended up on high, *lo, He*
Gives Us His Hand that we may get up too:
By Him our Strength, *we VValk, our* Light, *we ſee:*
He makes us Able, Shewes us what to Doe.
To Heaven *He's gone for us there to Provide,*
Bleſt they whoſe God's *their* Harbinger, *and* Guide.

3.

Looke up, My Soule, (and with bleſt Stephen) *See*
Thy JESUS Standing on th' right hand of God:
And then thinke Earth too meane a Place for thee,
Whom He *Redeem'd with his moſt pretious Bloud.*
Sweet Jesu, *Thou waſt pleaſ'd to* Buy *me, Come,*
(*I'm not the* Worlds, *but* Thine) *and Fetch Me* Home.

In SALVATORIS Noſtri Paſſionem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem.

1.

CRiminibus noſtris Cœlo Sublimior Alto (STUS
Oppreſſus *Cecidit*: Proprio nunc Sanguine CHRI-
Nè nos *Appeteret*, Mortem *Satiavit*, eodem
Horrendæ Flammas Extinguens ipſe Gehennæ.
Expiet ut Culpas Hominum Moritur DEUS: Ipſe
Oblatus JESUS Noſter, DEUS, atque *Sacerdos*.

2.

En Σταυρωθήτω, Clamant (Temeraria Turba!)
En Judex Morti jam *Sanctum* tradit Iniquus;
Qui Fatum Superat, Cui Mortis Janua Clauſa eſt!
Dant *Letho*, *Vitam* Cunctis qui præbuit Ipſum!
Dedecus en Patitur, Summa eſt Cui Gloria! Ligno
Suſpenſus, Totum Qui Solus Suſtinet Orbem!

3.

Qui *Prendit* Cœlos, Huic Clavis *Dextera* foſſa eſt!
Illius ecce *Pedes* Ferrum defigit Acutum,

Qui

Qui Dirum *Infernum Calcat*, Mortemque Subactam;
Cujus & *Immenſa* eſt, Implens Præſentia Cuncta.
Hunc Spernit Vulgus, Cui nexa eſt ſumma Poteſtas!
En, REGI REGUM Impoſita eſt Spinoſa Corona.

4.

En *Flagris*, *Spinis*, *Clavis*, &, *Scommate Sciſſum!*
Omnia quæ Metuit jamtandem Triſtia Paſſum!
Quos HOMO ferre poteſt, Omnes fert Ille Dolores:
Nec DEUS Iratus gravia hæc Tormenta levabit.
Hunc Clamans Luctus toto haurit Pectore! Dirum
Peccatum! DEUS, & CHRISTUS Diſtare videntur.

5.

Jam *Caput Inclinat*, tanto ſub Pondere Preſſum:
Nam Peccata Hominum Cunctorum Cuncta ferebat:
Quos Hodie fecit Moriendo Vivere: noſtras
Ut Sanet Mentes, propriis fert Vulnera Membris.
Mi DEUS, Hæc Credo: Fac, O Chariſſime JESU,
Ut Tibi, pro Nobis Morienti, Vivere Poſſim

1.

SUrrexit DOMINUS: Rupit jam Vincla Sepulchri
Ferratas Lethi Portas ſic Ille refregit:
Nec Sinit in Terram ſolvi Cæleſtia Membra,
Neſcia Qualis erat, Mors Hunc Invicta Sepulchro

Tradidit: at poſtquam Defuncti Robora ſenſit,
Vltrò Dimittit, Victam ſeque illa fatetur.

2.

Effulgens Hodie SOLEM Qui Condidit ipſum
Surgit ab *Occaſu*: Terras *Rediviva* reviſit
VITA: Oculos Aperit Proprios Qui Lumina Fecit
Noſtra Potens: Corpuſque Suum Videt Ipſe Sepultum.
Funereas Veſtes Superatâ Morte reponit:
Iſtis Signata eſt Victoria Tanta Trophæis.

3.

Dicere non facile eſt magis an Mirabile *Numen*
Poſſe *Mori*; vel Membra *Sepulta Reſurgere* Poſſe:
Vtraque Mira Facit CHRISTUS: ſuperando *Lethum*,
Mortem, vel *Cavea* dum ſe tenet illa, Sepulchro.
Sic Valida intravit Fatorum Limina JESUS:
Non ut *Captivus*, ſed Capta ut duceret Ipſa.

4.

Regi Terrorum erepta eſt antiqua Poteſtas:
Hoſtis erat; ſed jam nobis Famulatur: Amato
Qui SALVATORI Similes nos reddimus: ipſo
Funere Qui Magnos egit de *Morte* Triumphos.
Surgentem videor Sanctis audire Loquentem:
Surgite de veſtris Mecum, Properate, Sepulchris.

Qui

1.

QUI Calcavit *Aquas*, ecce, Hic nunc *Æthera* ſcandit:
In *Vivis* remanet; *Terras* tamen Ille relinquit:
Incola Cœlorum non eſt Mortalibus Abſens,
Quos Anguſta tenent perituri Limina Mundi.
Syderibus nempe eſt, Solique ſimillimus Ille.
Corpus Ineſt Cælis, perfundit *Lumine* Terras.

2.

Nunc poſtquam Summo fixit Veſtigia Cœlo:
Exhibet, en, Dextram Nobis Scandentibus; Ipſi
Innixi Gradimur; LUX eſt, Quâ Cernimus, Idem:
Efficit Hic *Poſſe*, & Monſtrat Facienda *Potenti*.
Ad Cœlos Abiit, Paret ut Loca ſplendida Nobis:
Ducit & ad Sedes placidas, quas cuique *Paravit*.

3.

O Anima, ad Cœlum ſublimes erige Vultus:
Ut STEPHANUS quondam, Tu JESUM Conſpice ſtantem
Ad PATRIS Dextram: Vileſcat Terrea ſedes:
Namque Hic Te Redimit Pretioſo Sanguine JESUS.
Sum Tuus, Emiſti: Mundi non ampliùs: ergo
Tu Venias, Referaſque Domum, Dulciſſime JESU.

Victrix

Victrix Fortunæ Sapientia.

ACtum *eſt* de Fortunâ, Academici, & ipſa *Fata pereunt*: *Cedente* nimirum Sapientiâ, proprio *Impetu* Labitur *Incurſans* Fortuna: quæ (ut illi olim, quos Justinus memorat) *Vincendo Fatigata* eſt: facili nempe *Satiata* Triumpho, *Crapulâ* quaſi laborans *elangueſcit*. *Succumbentem* adeo Sapientem intactum *ſupervolant* Sortis Adverſæ Tela: Dum *Patitur*, *Vincit*. *Æquâ mente* citò elabitur Dolor; nec Dura pungit, & *Robuſta* Pectora: *Molli* tantùm, & penetrabili Animo altiùs infixus hæret. Quem Murus Aheneus intus Protegit, nulla ſuperant Malorum *Agmina*; nec ab externo vim patitur, qui—*in ſeſe tentat deſcendere*—: qui intimos Senſus, & Cordis Sui *Penetralia*, pro *Aſylo*, Occupat. Neminem Vincit Fortuna, niſi qui *Bello inteſtino*, à Se Victus, Hoſti proditur: Qui propriis Affectibus edomandis ſufficit, Ipſe ſibi eſt *Propugnaculum* Fortiſſimum: & Ἀπάθειαν aſſumpto *Clypeo*, nulla ſentit Fortunæ *Vulnera*.

Martyrologias inſpicite, Auditores; & ipſæ oſtendunt plurimos de *Ferro*, *& Igne* Triumphantes: qui Flammis, haud aliter quàm *ſolaribus radiis*, non *torqueri* videntur, ſed *foveri*; dum *Crematum* Se unuſquiſque Devovet DEO *Holocauſtum*. Sapientiâ Comite iter facere liceat per *Syrtes æſtuo-*

æſtuoſas, per *inhoſpitalem Caucaſum*. Ad ipſius *Fulgorem* ex ipſis Fortunæ adverſæ Tenebris clarius emicantem *caligat* Acies Invidiæ, & Sævitiæ: aliquando etiam tanquam *Phœbo* perſtrictis oculis, *Lachrymæ* proſiliunt: Sic CÆSAREM accepimus Occiſum POMPEIUM, *Sapientiæ* ſpeciem præferentem, Hoſtem licet,

Plorâſſe: ——— — — —
Invictumque virum vicit dolor — —

Tot autem ubique occurrunt *Victricis Sapientiæ* Veræ, ac Vivæ Effigies, quot unquam *Paſſi* ſunt verè SAPIENTES; qui diſſolutâ *Fortunâ*, in Se recedunt, Diſſoluto *Corpore*, in Cœlum.

— *Video meliora, proboque, Deteriora ſequor* —

EN Animæ perituræ extremus Gemitus! mœſtiſſima MEDEÆ Querela, â *Se Victæ*, duram ſibi ſervientis *ſervitutem*, dum *— Intus, & in jecore agro Naſcuntur Domini —* nimirum, Auditores, *Vox* iſta è noſtris omnium pectoribus *Echo* ſuam efflagitat. Nos etiam (nam *Nemo ſine crimine*) *Deteriora* ſequentes, Retroſpicimus aliquando, & videmus *Meliora*, poſt *Tergum* relicta: nunquam præterimus Virtutem *Oculo irretorto*: ſal-

tem Videmus, & quodammodo Viſam Cupimus, licet eidem Pernicieм Machinantes; quaſi *Oſculo proderemus*. Improbamus ea, quæ facimus *lubenter*: Voluntatem ipſam horrida rapit vitiorum *Caterva*. *& invita* Patimur *Deſideria*: (monſtrum narro) quæ *Ratio* averſatur, *Homines* amplectimur: nempe quotidie petimus Lachrymabiles Riſus, & Voluptates Anxias. Huc, illuc Curſitantas Affectus *Fræna* reſpuentes, *latiorem viam* occupant, quam Virtutis *Scmitam*: ut Equi ſolent *Indomiti*, nullibi ſiſtunt, niſi *Fatigati*: uſque, & uſque cupimus Fallacia Vitiorum *Suavia* voluptates improbas, quarum Satietas *Nauſeam* parit, Fruitio Moleſtiam. Sic Noſtris Crùciamur *Deliciis*: & ipſa *Vexat* Lætitia: Mens noſtra perpetuò Dolet *Fictis Gaudiis* Decepta: Spes ſuas texit, retexitque ut PENELOPE Telam. Interim Videmus *Meliora*; at non aliter quàm TANTALUS ille Poma, & Aquas, Videmus tantùm, non *Attingimus*: *Ægrotans* Animus reſpuit Spectatas *Dapes*: non capit ille Vera Gaudia, Sana Pectoris *Nutrimenta*, qui *Crudas* voluptates nimiùm appetit, ut Pueri ſolent *immaturos Fructus*, qui *laſſant* Stomachum, non *Satiant*. Pueros agunt & virorum Animi: Petunt ſæpiùs quæ magis Nocent: nec *Sana* ſitiunt, ſed *Dulcia*. Eheu! Auditores, *Senſum* fallacem ſequimur, non *Intellectum*: Volumus tantum (ut *Ethicè* loquar) *Bonum Apparens*: *Verum* perdimus, Captantes *Umbram*: rarò ſcilicet Bona *Putamus*, niſi quæ *Scimus* Mala: inde nimirum Anima noſtra, quaſi *Laſciva* non *diu* Amat, ſed *citò*: quæcunque Portis illis, Senſibus occurrunt *Placida Bona*, ſubitò Amplectitur; quaſi verò, *Meretricis* inſtar, Obviis *Procis* in Limine Proſtaret.

Sic perpetuo laboramus deſiderio, dum ea petimus, quæ non *Sunt*: Vitiorum *Tenebris* immerſi, prenſare nitimur *inania*:

ania: *Deteriora* Sequimûr, tenuia & evanida Solatia; quæ ut DAPHNE Phœbum quemlibet *Amantem* Fugiunt. *Meliora* illa, quæ cernimus aliquando, ab oculis citò transeunt, *Fumo Opinionum* ſæpius obfuſcatis: ſic —— Bona pars hominum decepta cupidine falsâ. Hæc Triſtia quiſque novit nemo evitat! Degeneres Animi, quo magis *Vapulamus*, eo fidelius *Servimus Peccato*! ſic Vitium videtur Animæ *Scabies*: vexat ſimul, & Delectat. At (inde Solatium) hanc etiam *Scabiem ſalſis Aquis* Sanare poſſumus, Pœnitentiæ *Lachrymis*.

ORATIO FVNEBRIS:

INtuemini, Auditores, Triſte Spectaculum! Ecce COLLEGAM jacentem! intentiùs convertite ad *Feretrum* Oculos, quàm Aures ad *Roſtra*. MORTUUS *Ille adhuc Loquitur*: VITA BREVIS: idque efficaciùs quàm poſſit Orator Veſter: Ego tantùm *Verbis* demonſtrare poſſum, quod ibi *Re ipſâ* oſtenditur: nimirùm, Auditores, nil aliud futura eſt Oratio noſtra, quàm Hodierni *Spectaculi Pictura* quæ (ut aliorum ſpectaculorum Effigies ſuſpenſæ ſolent) Alliciat Vos ad *in viſendum* Ipſum. Ipſum, Auditores Occulis *Aſpicite*: Animis *Contemplamini*: Præſentem Collegæ Veſtri Mortem cernentes, Veſtram Cogitate certò Futuram. Eheu, Auditores, quàm non ſumus

Mentis Compotes, qui Animæ *Sortem* tam rarò Meditamur! Terreſtres Voluptates, Jucundas Nugas, Riſus inanes, Species Gaudij, Frivola *Momentanea*, quàm avidè cupimus, quàm ſtrenuè amplectimur! Dolores etiam *Momentaneos*, qui minùs ad *Nos* ſpectant, *Corpus* tantùm, aut *Fortunam* attingunt, cautiùs averſari, *cito pede* fugere ſolemus: At, interim quæ nobis futura eſt (cras forſan, forſan hodie) Æternam *Pœnam*, aut *Gloriam Providâ* Cogitatione rarò ſpeculamur, quaſi verò non eſſet Hæc Spe Digna, nec Illa *Metu*. Hæc mecum Gemite, Auditores; Hæc, quæſo, quotquot adeſtis, Juvenes ACADEMICI, ſeriò *Perpendite*: non adeo *Levia* experiemini, ut (Improborum more) Scommate excipiatis, & impio *Riſu*. Nequaquam Me *Juvenem* puder, coram ipsâ *Juventutè*, *Fronte* tam *Triſti* Prodire: minimè inquam Me Pudet ea proferre, quæ ſaltem neceſſe eſt *Mente revolvere*, ſi SALUTEM expectes, ſi EXITIUM Evitare cogites. Fateor equidem non poſſe Me *Severum* non eſſe, præſertim in Conſpectu MORTIS: Iſtiuſmodi Cogitationes, iſtiuſmodi Sermones adeo Mihi Honeſti videntur, adeo Neceſſarii ut, qui mecum iis non utuntur, eorum Ipſe nec metuerem *Cenſuras*, nec *Laudes* peterem. Quàm inanis ſit illi MUNDI Plauſus, *Aura popularis* placida, & ſerena, cujus Conſcientiæ DEUS obſtrepit, horrendis Minarum *Tonitrubus*? Hunc velim, Auditores, qui iſtiuſmodi Seria, & *Animam* ſuam ſpectantia, nec Loqui cupit, nec Audire: qui Conſcientiam *Ægram* Languere mallet, quàm Medicinam Acerbam (ut MORTIS Meditationem) pati: nempe qui mallet Se Pravum *Faſtidire*, quàm Laborioſiùs Emendàre. Certè, Auditores, minimè Illum juvat, omnibus iis affluens, quæ *Deliciæ* vocantur, Terrena VITA qui MORTEM formidat Venturam: Formidat autem,

tem, qui non continuò ipſius horridiorem *Imaginem* mente *Agitans*, ejuſdem *Aſperitatem* emollit, & retundit. Quouſque, MORTALES, Mortis Obliviſcemur! quouſque non perpetuò in animo habebimus, quæ quotidie Obverſatur Oculis? quænam eſt hæc Dementia? Mortem non Meditari? quod Animis noſtris adeo Utile eſt, quod (per crebra illa, quæ nobis innoteſcunt, aliorum Funera) adeo Facile eſt? Scilicet, Auditores, in Muſæis noſtris Sedentes, in Platëis Ambulantes, Mortis alicujus prænuntiam Campanam quotidie Audimus. In *Templis*, & *Sacellis* penè omnibus, etiam in AULA Noſtrâ plurima videre eſt MORTIS Inſignia, Ita nimirum perpetuò Nobis aliquid *Occurrit*, quod MORTEM *Venturam Proclamare* videtur. Et adhuc Ceſſamus, Auditores? nec in Adventum Ipſius Certiſſimum Nos Parare incipimus? Hanc Inteſtiſſimam *Naturæ* Hoſtem qui ſedulò *Expectat Vincit*: *Palmæ* inſtar, ab eâdem Depreſſus altiùs Reſurgit: Perit autem, æternùm Perit, quem Ipſa *inopinatò* Opprimit. Hoc Verum Agnoſcimus, Auditores, & tamen, quaſi Leve aliquid, & nullius momenti, quod *Sortem* noſtram *Æternam* ſpectat, Cogitationibus noſtris, & Colloquiis excidere patiemur? Proh Dolor! (Monſtrum narro!) ea inolevit Conſuetudo, ut tantùm non omnes *Pudeat* ea nunc Agere, ea Loqui, quæ minùs Curâſſe (ſi tempeſtivam Pœnitentiam non egerint) in æternum Pigebit. At, quorſum Ego? quid multis agam! eò tendit Tota ORATIO, ut Mihi pariter, & Vobis ſint Hæc Verba *Imis infixa medullis* (nè Vanis Cogitationibus agitati, & *Fluctuantes* Animi Volutationes, nec *Libidinum* Rapidarum *Turbines* unquam Excutiant) MEMENTO MORI!

Jam tandem, Auditores, aliqua Mihi proferenda videntur

in Memoriam Defuncti AMICI: Hactenus de Morte, reſtat ut de Illo Mortuo peroremus cum autem voluerit ipſe (quam voluntatem paulò ante obitum mihi notam fecit) non multa apud *Roſtra* de Se dicenda, aiens Se primum Peccatorum eſſe, & alia hujusmodi modeſtè Chriſtiana,) hoc Negotium breviter abſolvam.

At, at, pace tua, Candida Animula, Mihi liceat aliquid proferre in *Laudem* Tuam, & DEI *Gloriam*, cui ſoli, quicquid in nobis boni eſt, acceptum referimus.

Illi, Auditores ſex annos, aut circiter, ab intimis fui, quo tempore *Sobriè*, *Honeſtè*, *Piè* degentem novi. Quod etiam ad Morbum ipſius, & Obitum ſpectat, paucis expediam. Leviter adeo DEUS Illum Tractavit, *Animam* ipſius à *Corpore* ſeperaturus; adeo paulatim, & *tacito pede* VITA Deceſſit, ut paucis ante obitum diebus vix crediderit Ægritudinem ſuam Fatalem eſſe: quam Animi Affectionem potiùs dicerem *Opinionem* Se non Moriturum, quàm *Spem* Vitæ; quam minimè in deliciis habuit: ſæpiùs Mihi dixit: *Vanitatis* Mundanæ tædio Se laborantem non aliâ ratione velle ulteriùs in *Terris* degere, quàm ut ampliùs DEO inſerviret in Opere EVANGELII. Sub initio Morbi paulò acerbiùs ingruentis talia Illum Loquentem audivi. Certiſſimum Mortis Nuntium (nempe, qui Illi dixit nullam valere Medicinam ad reparandam ipſius Sanitatem) animo firmo & intrepido tulit, aiens, Se DEO Reconciliatum eſſe, innuens nimirum nec mortem timuiſſe, cui *Vivere* CHRISTUS erat, *& Mori Lucrum.* Vidi Ego in extremis laborantem, & de Vicinâ Morte, ſummâ fiducia, immota mente, diſſerentem: Jam, inquit, quâlibet horâ Mortem expecto: *Mortem oro:* de Salute meâ nullus dubito: his, & aliis hujuſmodi ſententiis Mihi *Animam* explicavit, CÆLUM

anhelan-

anhelantem. Paulò ante obitum in votis habuit, ut Anima ſua liberè, nec, quaſi tenaci nimiùm, Corpore reſiſtente, tandem Exiret: Audiit Precantem DEUS: Atque ita, qui mitiſſimâ indole, animo ſemper pacato fuit, SPIRITUM ſuum, (non, reluctante *Naturâ Turbinis* ad inſtar, Erumpentem, ſed) quaſi *Auram Serenam* expiravit. Sic Candidam Animulam quaſi molliter prehendens in ABRAHAMI *Sinu* repoſuit DEUS: Qui Nobis præſtet per CHRISTUM Suum, ut, continuo Peccatorum Senſu gravati, *Triſtes* Vivamus, quò Lœti Moriamur.

5° *Novembris habita.*

Salve ANGLIA: propulſâſti Pericula: Gratulor Tibi Annuos Plauſus: tanta Victoria digna eſt ſempiterno *Triumpho.* DIABOLUM, & PAPAM ſuperavimus in ruinam noſtram Conjurantes Infeſti eorum Conatus, *perluſtratis Inſidiis* (ut *Nigri Lemures ortâ Luce*) ſubitò *evanuere. Occultum Hoſtem* qui Cernit Vincit. Scilicet, Auditores, GEHENNA, & ROMA, *Tenebrarum Regna, præviſis Telis*, haud ſolent *Ferire.* O Perſpicacem JACOBI μεγαλητος Animum! qui ſibi, & Patriæ è longinquo Proſpexit. In ipſis *Latebris* Facinus Cognovit. Sagaci Oculo quaſi *Solari* Lumine, impendentem Regno *Nubem* diſcuſſit. Non illum latent per obſcuræ Literæ; quarum adeo Implicatos Senſus, ſic ut *Sphingis* ÆNIGMA non diſſolvere *Fatale* eſſet. Indignatur au-

autem REX PLATONICUS, literarum Monarcha *Legere* aliquid & non *Intelligere*. MONTAQUILIUS *Chartam* reſeravit, at Ille *Literas*; quaſi haud miſſæ forent ab *Amico* ad MONTAQUILIUM ſed è *Cœlo* ad REGEM: ut tota *Britannia* Se REGI deberet, & Ille DEO *Britanniam* nempe hoc *Magnum* illud *Scelus* fuit, quod *Papiſtæ* ſoli tentare poſſent; cui ſolus JACOBUS Obſtare. O *Dira* Romanorum Pietas! *Religio improba*! quæ tantum auſa eſt Mandare Nefas; tam atrox, & horrendum Facinus: ac ſi nimirum haud aliâ ratione *Petrum* imitaretur PAPA, quàm ſtringendo *Gladium*. At, *Petri Oves* non adeo oportet *Feroces* eſſe: *Grex* CHRISTI non ſunt, ſed *Tigrides*, & *Leones*, qui *Sanguine* Veſcuntur. *Vitis*, quam Dei Dextra Plantavit, Sancta ECCLESIA, ut ſuccreſcat indies, & ampliùs extendat Ramos, *Lachrymis* propriis *riganda* eſt, non alieno *Cruore*. Scilicet *Dæmonica* eſt iſta *Religio*, quæ in *Sacrificium* Homines mactat. Infandi Nebulones, qui Parricidio inſcribunt DEUM: & Conjurationis Miniſtro Cœlum promittunt *Sceleris Pretium*. At, miſerande Facinoris Artifex, Machinatio Tua *Subterranea* quid ni audiat *Inferna*? non aliunde accenſa eſt *Lucerna* iſta, quàm è *Flamma* GEHENNÆ: inde proveniunt Conatus Veſtri; ſed illos dicto citiùs compreſſit DEUS: nec ulla reſtant deſtinati Facinoris veſtigia: eâdem quaſi Celeritate perit quâ peragendum erat. Sic Vincunt ſine Prælio, qui non ſunt *Telis* Armati, ſed *Numine*: JUPITER non *Gladio* dimicat, ſed *Fulmine*: *Exanimat* inimicos, non *Sauciat*: cui idem eſt Ferire, ac Perdere. Ita congeſtas Inferni vires, tot Sæculis paratum Summum Nefas, quod tantùm non Factum putabant, ſummus ille rerum omnium *Arbiter* ſubitò; compreſſit, evertit diſſipavit, ad

Ho-

Hominum. *Stuporem*, *Tremoremque* Dæmonum. At, Nos exultemus, Fœlices ANGLI: Periculorum Recordatione partæ *Salutis* renovemus Gaudia. Quos nobis parârunt *Gemitus*, *Plauſus* fiant, ZELO Ferventes DEO Adjutori agamus Gratias; ut Triumphet etiam Salva RELIGIO: In *Templis*, & *Sacellis* noſtris, (quæ Precibus impiis, & monſtroſis *Sacris* inquinâſſet Hoſtis, ſi modò ſucceſſiſſet,) quot annis recitetur Hiſtoria hujus Diei; ut quòd adhuc in tuto ſint, quòd adhuc audiant DEI Habitacula, *Echo* eorum quaſi IO reſonet. Ecce, ROMA, propriâ Te læſam *Machinâ*: ecce quem ſtringis Gladium in Tua converſum viſcera: Britanniæ Exitio nimis *intenta Lapſu* incanto *Ruis*: eò Victa eſt RELIGIO Tua, quòd adeo infeſtas Noſtram: Ignara eſt RELIGIO Utendi Ferro, dum *Tela arripit*, Seipſam *lædit*, CHRISTIANÆ *Fortitudinis* Occidere non eſt, ſed Occidi. Quin perge, *Genus inviſum*, Salute Noſtrâ Languere; Lætitiâ intabeſcere: Salvi REGIS, Populique *Vitalis Aura* miniſtret Tibi *Suſpiria*.

Interim Auditores, Caveamus Papiſtis, licet jam Victis: nam, Dæmonum ad inſtar omnia penè Loca implent, nec tamen *Videntur*: in ECCLESIÆ Noſtræ *Ruinis*, ut in annoſis fractísque parietibus *Angues*, Latent Proles Antiqui SERPENTIS. Nos autem, nè noceat *Occultus hoſtis*, DOMINUM EXERCITUUM Sequamur Ducem; qui ſimul ſuppeditat Militibus ſuis, quâ Cernant, Lucem, quâ Superent, Virtutem.

HERACLITUS.

HOdierno *Mane*, Auditores, ne quos expectetis *Floſculos Rhetoricos*, niſi *Lachrymis* tinctos, quaſi *Roris* aſpergine. Mihi quidem nullum Placet *Mel* Eloquentiæ, niſi quod ipſi Dolores, ſuis Etiam inſtructi *Aculeis*, quaſi *Apes*, collegêre, Scilicet, Auditores, Ingens Dolor, *Duri* Præceptoris inſtar, *Cogit Ingenium*: igitur HERACLITUM ago, ut, ſi Doctrinæ nihil habeamus, nihil Sapientiæ, noſtram ſaltem *Ploremus* Stultitiam.

MICROCOSMUM noſtrum perpetui *Fletus*, ut orbem Terrarum *Oceanus*, circumfluunt: quæcunque cernimus *Tædio* quodam afficiunt *Oculos*: adeo ut, ulteriorem fugientes *Videndi* Pœnam, *Lachrymis* ſpontaneis obruti *Cæcutiant*: quotidianis Miſeriis agitati *Stupentem* aliquando *Dolorem*, pro *Aſylo*, petimus: per *Extaſin* quandam Nos de Nobis *Anxiis*, & *Luctuoſis* Liberantes: ita nimirum ad ſummum provecti, tanquam *Laſſati*, *ſiſtunt* Planctus: & Solatii quiddam affert *Ultimas* Ærumnas ſpectare: Hoc ipſum in causâ fuit, cur HERACLITUS noſter Pectora *Libravit* debito Curarum Pondere, nec unquam inani *Lætitiâ* elatus *graviore caſu* in Mœrorem decidit. NOS etiam HERACLITO Duce, averſo Oculo, præterimus, quæcunque occurrunt *Placida Bona*, MUNDI Blandimenta

dimenta, quæ ſcil: ut SODOMÆ *Poma*, *Pulchra* videntur *Intacta*, *Prenſata* verò in *Cineres* abeunt. MUNDUM *Deformem* cernimus ſub *Pictâ* Facie: penitiùs *Herbam* inſpicimus, & ecce *Latentem Anguem*: *Flebilem* prævidemus, ſiquid *Secundi* accidat, Mobilis Fortunæ Exitum: & inde continua *Lachrymarum* Flumina; quibus hoc tantùm Solamen ineſt, quòd Spe nullâ *interrupta* altiori Torrente nunquam turgeſcunt: & hoc Miſerum evitamus: *Fuiſſe Fœlices.*

Apage inanem *Gloriam* cæteráſqur omnes Emicantis Fortunæ *Scint illulas* quæ *Lampadis* inſtar, quo Fulget clariùs, eo citiùs Evaneſcit. Sic orbis Victorem CÆSAREM novimus, Extremo *Tropheorum* Oneri ſuccumbentem, ILLI Potentia CRÆSO Divitiæ, SARDANAPALO Voluptates, & omnia (ut aiunt) *Fortunæ Bona* in nihilum redeunt: *Collapſos* Dominos *Ruitura* premunt. Quis non eſſet HERACLITUS? quis uſpiam Hominum *Temperet à Lachrymis*) — ſi qui fortaſſe — *Tolluntur in altum*, ut *Syſiphi* Saxum, ſubitò Dilabuntur. aut Metu Languidi, quaſi *Ægrotantes*, lautiores reſpuunt *Amicæ* Fortunæ *Dapes*: PHAETHONTI ſimilès Celſiori Sede anxiè fruuntur, Viſo territi *Præcipitio.*

At! quorſum hæc? haud minùs difficile eſt profundas HERACLITI Lachrymas, quàm ipſum menſurare *Pelagus*: iſtis enim incrementa præbent, quæcunque humana occurrunt miſeranda, & inania. Nos autem cum ipſo HERACLITO, Doloribus indulgentes, gemitibus, & næniis reliquum *Spiritum* impendamus.

Magiſtro P. aliiſque nonnullis, *qui, in* AULA *ipſâ Collegii ſui, Libellum meum (cui Titulus* DIVINE POEMS, &c.) *nuperrimè in Hâc* ACADEMIA *editum, & Me pariter, Scommatis, & Dicteriis,* Felle *magis, quàm* Sale *conditis inhumaniter excepêrc.*

NON ſum ille, Magiſter, cujus *Fama* Opprobriis veſtris ſuccumbat: nec illâ quidem deficiente, animo deficerem: quippe mallem Ego MIHI *Placere,* quàm toti Terrarum orbi. Novi equidem evenire poſſe, ut ab iiſqui de me loquuntur, omnibus malè audiam: ab improbis, quod Actiones meas, *norint* Suis adverſas; â Bonis, quòd *credant* Suis. *Bene latet,* non qui timet Se MUNDO oſtendere, ſed qui *rebus externis* minimè Fidit: qui intra MURUM AHENEUM Conſcientiæ Integerrimæ Clauſus ſæviſſimam *Maledicentium* turbam ingruentem ſecurus expectat: Hoc *Clypeo* tectus (ſolidâ, & maturâ cogitatione paratus) auſim Ego *Honeſti* causâ Me *telis opponere: &c. Honeſti* causâ inquam, Libellum illum, *atro dente* petitum, in Lucem prodire volui: nempe ut aliorum Animos interlegendum (quibus mentis Acies nec *bile* Æſtuantis STOMACHI. *Fumo obfuſcata* eſt, nec ſimplici ignorantia *cæcutit*) ſeveris illis, & ſanis cogitationibus fove-

foverem, quibus Ego inter ſcribendum Fruitus ſum; οὐν δεῷ uti ſpero, ſemper Fruiturus. In eo Libello, quaſi in *Tabellâ*, Depinxi Animam meam, (fateor equidem) aliquando *Terris* immerſam, & conſpurcatam: Jam verò JESU *Sanguine* mundatam, illiùſque ſplendore nitentem: nec ſæpiùs â vicini Corporis *Luto Labe* aliquâ infectam, quam *Lachrymis* Piis abluentem Se. Ita nimirum VIRTUTIS *Semitam* ingreſſus, *Veſtigia* mea Nota feci, ut alii etiam Adoleſcentes eò quàm celerrimè tendant: ii præcipuè, qui *genio* Mihi, & *indole* Similes ſunt; nempe in quorum *Præcordia*, quaſi apta, & idonea eorum receptacula, *Verba* noſtra faciliùs deſcendunt.

Non poſſum non Mei ipſius vindicem agere, intimos Animi ſenſus explicando, cùm adeo Me non *intelligant* eorum nonnulli, qui Docti, qui Sapientes habentur, ut, pro *Honeſto* Conamine, *indocti*, & *imprudentis* STIGMATE notari Me dignum putent, At, â Vobis *Damnatus*, eos *Appello*, qui, *Præjudicio* remoto (quo *Mediante* recta omnia *curva* videntur) de Scriptis meis *judicant*: eos inquam, qui in *excolendis* Animis ſuis, *Sordes* eorum, *Vitia* nempe, abſtergendo, *bonis moribus* Ornando, quid ſibi velit *Practicæ* Poeſeos noſtræ PHRASIS, Ipſi *Senſêre*.

Hæc ad *Materiam* Opellæ noſtræ: quod ad ipſam *Poêſin* ſenſus exprimendi *Normam*, ſpectat, Quod Mihi propoſui Scribendi EXEMPLAR, infra ſubjungam.

Hæc habui, quæ toti ACADEMIÆ Nota facerem, nè, paſſim jactatis invidorum Opprobriis, aliqui fortaſſe *inauditum* Me (nec cognitâ ſcribentis intentione, nec perlectis Scriptis meis) *Faſtus* etiam, & *inſulſitatis* Damnarent. Perpendite, quæſo, quantæ impudentiæ, ſtultitiæ, arrogantiæ

Me arguitis, qui adeo *Ridicula* habetis illa Poematia, quæ UNIVERSITATIS Celeberrimæ Typis mandavi! mirum! cur *Ridicula?* in quibus componendis (abſit dicto invidia) â peritiſſimis Orationis Doctoribus ſcribendi normam petivi; ab ipſo DEO *Materiam*!

Jam latiùs explicato Animo meo, nè propriâ incuriâ malam aliquorum Opinionem patiar, graviſſimam, quæ in poſterum de Me feretur, Sententiam nihili pendam. Interim, Magiſter, & reliqui omnes, qui meum innocentis nomen lædere conati eſtis, inter ipſa *Opprobria* Veſtra, MENS Mea, *Sanæ Rationi* innixa, *Candidam* Se, & ab Atro omni Affectu intactam ſervat: nullâ ſcilicet *iracundiâ* agitata, nullo infamiæ *metu* concuſſa, Firma, & *Immota manet*. VALETE.

——————— *Semita certè,*
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

ΤΨΟΣ λόγυ.
SIVE
INGENIVM.

Prægnantis Cerebri *Fœtus* eſt; haud Tumor *Inflati:* Non eo Prædītus videtur, qui *Turgida* profert, ſed qui *Solida*: nec cui Subitum *Acumen*, ſed cui Certum: Labore conſtant, quæ Magna audiunt. Quod *ſponte ſuâ* profert

Ager,

Ager, *Lolium* eſt, non *Triticum*. Nil habet Ponderis *Velox Ingenium*. *Reverenda*, & *Nobilior* Eloquentia *Graditur*, non *Currit*; Utique nè *Pigra* ſit Minerva tua, neve *Feſtinet*: nec *Stagnat* HELICON, nec *Fluit*: *Fons* eſt, non *Flumen*: Et Has Aquas maximè *Profundas* non acquirimus, niſi *Exantlando*. Interim *Artis eſt celare Artem*: ſint ipſa *Opificia* Naturæ Æmula; nec Facta prodant *Artificis* Laborem. Malè Conditur Edulium, in quo (minùs Soluti) Apparent *Sales*. Cujus Subtilitas *Elaborata* nimis videtur, ille Nitida quaſi *Acupicta* polluit *digitis ſudantibus*. *Forma Neglecta* decet *Maſculum Ingenium*: *Crinitus* APOLLO non *Criſpat* Comas. Magnos Conceptus Ornant Apta Verba, non Splendida: quæ *Placent* Intellectui, non quæ *Titillant*. Quæ tam *Formoſa* videntur *primo Inſpectu*, *Picta* ſunt, non *Pulchra*: Fulgentiùs emicant *Cometæ*, quam Stellulæ: nempe quo citò Delectamur Ingenio, citò Deſpicimus: nam Intellectus etiam *Odit* nimis *Facilia*. Ingenuæ *Allegoriæ*, ut præſtantiſſimæ Veritatis *Effigies*, quaſi *Velo* teguntur, nec primo *Acceſſu* eas *Spectamus*. At, perdifficile eſt Ingenium Definire; nam ut ipſe PHÆBUS, *Planeta* eſt nimirum *Generoſi Animi* Conceptus, ut *Heroinæ* Noſtrates ſolent, Vario *Habitu* delectantur. Celebrem HORATII Muſam æque Decet in Lyricis *Corona*, ac *Ægis* in Satyris. AQUÆ CASTALIÆ etiam *Figuram* accipiunt ab eo, quo tenentur, *Vaſculo*. Sic MARO ille Magno fuit Ingenio præditus, Magno fuit & ille PERSIUS: Hic autem *Profundo*, at Ille *Lato*. CICERONIS Scripta, & SENECÆ quoque Magnum præ ſe ferunt *Lumen*: Hæc autem *Argi* quaſi, Illa *Cyclopis*: Hæc *Scintillant*, Illa *Micant*. Sic æquè Varia eſt Animarum *Pulchritudo*, ac Corporum: neque illam *Membra* Conſtituunt, ſed *Proportio*.

MAG-

MAGNANIMITAS.

MAgnus eſt demum Illius Animus, qui *Sibi Sufficit*, qui Actiones ſuas *Rationi* accommodat, non *Exemplo*· & Honeſti ſibi conſcius Opinionem alienam deſpicit. *Puſillus Homo* æſtimetur, cui unquam in mentem venit *Quis populi ſermo eſt?* iſtiuſmodi cogitatione ſuperior eminet, qui *Altum ſapit*. Inſipientis eſt ab iis *Famam* Captare, qui Neſciunt *Virtutem*: Laudes eorum *Clamor* ſunt non *Plauſus*: *Verberant* Bonorum Aures, non *Permulcent*. Haud aliter, Auditores, Veris Encomiis, & *Præclaro Nomine*, qui Magni Animi eſt, *Splendere* velit; quàm ut eo *Lumine*, adConſuetudinem ſuam, & Vitæ Normam, Dirigat *Errantes*: adeo non ſuum agnoſcit, quicquid ab externo venit. Menti ſuæ quæ ipſa Poſſidet, *Ornamenta*, ſæpiùs oſtendit, nè pudeat eam *Foras Exire*: citra Faſtum Cogitat Facultates ſuas, & Dotes eximias; eò nempe, ut quæ Decet Suſcipere, Audeat. Si quid Adverſi contigerit, intus habet Solamen: *Victricis Sapientiæ* Auxilio de *Fortunâ* Triumphat. Minutias rerum, quas Divitias, & Voluptates MUNDUS appellat, non cupit abundantiùs Habere, ſed Indigere minùs. Neminem Colit, niſi quem Virtus Honeſtavit: nec (ut *Vulgus*) *Pecuniam*, aut *Veſtes* Sequitur, ſed *Homines*. In *Aulâ* ipſâ *Plebem* cernit, & aliquando

quando in *Tuguriolo Nobilem*: Animum quippe *Cenſet*, non Arcam: eos Honorat, qui ſibi Favent, non quibus Fortuna: qui anxiè magis ſtudent *Animam* ſuam firmiter *Poßidere*, quam Agrum. Magnus eſt demùm ille Animus, quem Terrarum Orbis non capit, qui *Æſtuat — anguſto limite mundi*, & Infinitum Spirat CÆLUM.

AMICITIA:

SEU

Explicatio quatuor iſtorum

PYTHAGORAE

Carminum.

Τῶν δ' ἄλλων ἀρετῇ ποιεῦ φίλον ὅστις ἄριστος
Πρᾳέσιδ' εἶκε λόγοις, ἐργοισί τ' ἐπωφελίμοισι.
Μηδ' ἔχθαιρε φίλον σὸν ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς,
Ὄφρα δύνῃ. δύναμις γὰρ ἀνάγκης ἐγγύθι ναίει.



OXONIÆ,

Excudebat HEN: HALL, Academiæ Typographus,
Impenſis THO: ROBINSON. 1662.

LECTORI.

HOC ſcias velim, Lector candide Prælectiunculam iſtam me raptim ſcripſiſſe, coram Auditoribus non aliis, quàm Collegii Noſtri Tyronibus habendam: Jam verò Materiam ipſius penitiùs inſpiciens Dignam puto quæ Lucem aſpiciat: quippe quæ Illam, niſallor, AMICITIÆ Ideam exprimit, quâ nihil in Terris rariùs cernitur, niſi Ipſa AMICITIA: Phraſin quod attinet, non adeo cultam agnoſco, ut

LECTORI.

Veniâ non opus sit, nec rudem *adeo, ut de novo exararem. Si quis mihi vitio vertat quod ex* ETHNICI *Verbis, tanti momenti Sermonem eruerim, & publici juris fecerim, secum cogitet, Siquam dixerit* PYTHAGORAS *Veritatem,* DEI *esse, non* PYTHAGORÆ.

A-

AMICITIA:

Τῶν δ' ἄλλων ἀρετῇ πανεῦ φίλον ὅστις ἄριστος.

EXimium ſanè Præceptum, Auditores intimis animi ſenſibus infigi dignum, nè unquam excidere queat; nempe ut quoſcunque nobis adſciſcimus Comites, ſedulò diſquiramus, an hâc lege nobis Chariſſimos habeamus, quòd Ipſi Virtutem habeant Chariſſimam, aut ſaltem habituri videantur: nam non tantùm *Profectus* eorum qui in Amicitiam nobis aſſumendi ſunt, ſed *Indoles* etiam, animi Impetus, & Inclinatio ſpectari debent: non ſolùm Ille in quo *Adultam* Virtutem, ſed & in quo *Crescentem* videmus, Amicitiâ noſtrâ, & vitæ conſortio dignus exiſtimandus eſt: nempe honore proſequamur, nec ſeſe offerentem ἐν ὁδῷ τοῦ βίου Comitem reſpuamus unquam, qui ad *Altiora*, & Honeſta contendit, greſſu licet tardiori: at in Curſu noſtro nè nos impediat ipſius Tarditas, ſed provocet eum noſtra Celeritas. Ut rem tantam, Auditores, & maximè à vobis intelligi dignam, explicare poſſim, liceat mihi vulgarem iſtam ejuſdem imaginem proferre. Vidi ego cum Patribus ſuis æquali ſemper (ut ſenes ſolent) greſſu tendentibus

tibus Pueros Ambulantes, tardiores aliquando, & multis paſſibus à tergo relictos, aliquando etiam aſſumptis animis viam corripientes, & Patrum lateri ſeſe adjungentes, tandemque aſſequentes eandem deambulationis metam: Ita nimirum ſi cui contingat Amicus, tardioris qui ſit ingenii (ut *Ethicè* loquar) *Semivirtute* præditus; Exemplo ſuo præeundo ſemper, continuum Vitæ Honeſtæ tenorem ſervando, provocet uſque ad Alta aſpirantem, donec tandem in ſummo Virtutis Faſtigio ſecum collocaverit. Sic vobis, Auditores breviter oſtendi quòd non ſit neceſſe virtute perfectâ, & moribus admodum excultis adornentur ômnes quibuſcum Amicitiæ fœdus ineamus, ſed quòd hi etiam Amicitiæ candidati rectè habeantur qui nituntur ſe tales efficere, qui nituntur inquam (ut cum Poetâ loquar) Αἰὲν ἀριστεύειν — Hi ſcilicet in vitæ *Curſu* ſi nobis occurrant, ab Amore noſtro firmo, & perpetuo, ab arctioribus animi amplexibus nequaquam arcendi videntur: conciliis honeſtis, & colloquiis, aliisque Amicitiæ officiis, Illorum Virtutem Augeamus uſque, & Exerceamus Noſtram. Fateor autem majorem ei Fœlicitatem contigiſſe, qui cum perfectæ virtutis & ſanioris judicii viro animum ſuum conjunxit; nam eo Suaviorem Amicitiæ *ſuccum* imbibimus, quo *Maturior* eſt unde exprimitur Virtus: cujus *Reciprocæ* Actiones (nempe dum Viſâ alter alterius Animâ *Pulchra*, & *Amabili* Delectantur invicem Amici, & *Reflexo* quaſi alterius *Lumine* clariùs fulgeſcunt, benevolâ converſatione quâ alter alterius animum attingit, moribus ſuis, & præſtantiori, quâ pollent, Diſciplinâ ſe mutuò imbuentes; hujuſmodi, inquam, *Reciprocæ* Actiones Virtutis Amicitiæ Fructus Suaviores exiſtimandi ſunt. At non adeo huc ea ſpectant. Hoc in loco maximè Obſervemus, Auditores, Bonum eſſe Virum debere quem licet nobis Amicum

micum facere in Carminum ſequentium explicatione de noſtris erga illum Officiis qui Amicus jam factus eſt, differemus.

Πεφάσθαι δ' εἶκα λόγοις, ἔργοισί τ' ἀπωφελίμοισι.

Cedas verbis lenibus, atque utilibus factis: hoc eſt,

AMici tui monitis te facilem præbeas; & Ἔργα ἀπώφελιμα, *Facta Utilia*, ſeu Oblata Beneficia grato animo excipias, ipſi Benefico Benefacere ſemper cupiens: Vix autem Beneficia dicendæ ſunt iſtæ Actiones quas eo nomine vulgus appellat, nempe pecunias, aut honores in aliquem conferre, aut hujuſmodi quidquam efficere; niſi eò conferas, ut Amico tuo ſint *virtutis* exercendæ Inſtrumenta; queis ſcilicet Animum ſuum Honeſtum, & Splendidum Oſtendat: nam (quod ſæpiùs dixi) cum in iis rebus, quas Populus admiratur ut in pecuniis, & honoribus &c. exerat ſeſe *Morum* Pulchritudo, fortius allicit eorum Animos, & ſibi magis intentos reddit. Fateor equidem

Pulchrior eſt Virtus veniens è corpore pulchro:

Sic etiam plerumque è Pulchrâ (ut ita dicam) Fortunâ: Quæ tamen *Nigris Parcis* Obſeſſa Illis Clariſſima videtur, qui fortioti mentis acie præditi ſunt, qui nil Malum æſtimant, niſi Inhoneſtum. Itaque Beneficium dicatur adjuvare aliquem in Exercitio Virtutis opes, aut honores tribuendo) at multò magis, in ipſâ acquirendâ Virtute. Satis (ni fallor) cuique conſtat illorum Beneficia debere maximæ æſtimari non qui *Fortunæ*, ſed qui Animi Bona alicui ampliora reddunt. Verbo, Auditores (de quo nunc agitur) maximum *Amicorum* Officium eſt *Se* mutuò pro viribus *Meliores* facere: Alterum Alterius, ſi quam deprehenderit, pravitatem corrigere:

rigere: atque ita *Aureâ illâ Virtutum* Catenâ se sibi invicem *Alligatos* tenere, & strenuè Amplecti: at quorsum Ego? quæ in hâc re dicenda sunt omnia breviter perstringit clarissimus ille Pythagoræ Interpres. HIEROCLES: * Πρὸς τοῦτο τὸ κοινὸν ἀγαθὸν ἡ φιλία συνάπτει νόμος, ὅπως ἡμῖν συμπεριφερώμεθα πρὸς ἐκείνους ὡς ἀρίστοις ἐπιθυμοῦσι, καὶ παρ' ἡμῶν τοιούτοις.

* Hierod. in Carm. Pythag. p. 61.

Μηδ' ἕνεκα σμικροῦ σὸν ἑταῖρον πάμπαν μισήσῃς.

Neque propter leve peccatum Amicum tuum oderis.

QUid sit propter leve peccatum Amicum tuum odisse, optimè ostendit * HIEROCLES: Περὶ γὰρ μικρῶν, ἢ δῆλος, ἢ πρὸς ἄλλο τῶν οὐκ ἐν ἀνάγκαις οὐσιῶδες κινδύνοις αὐτοῖς διαφερόντως (δὲ) ἐγὼ δὲ ἐν ἁμαρτάνοις ἑταῖρος ἐκ τοσούτου ἀπὸ ἀνθρώπων ἐκδιωκόμενον τῶν πρὸς τὴν ἀρετὴν ἑαυτοῖς ἡμῶν ὑπαρχόντων. Scilicet, Auditores, non aliâ ratione deserendi sunt, quibus unquam Amicitiæ vinculo conjuncti fuimus, quàm si illi Virtutem deseruerint, cujus gratiâ ab Intimis nobis fuerant, arctissimâ societate conneri. At cum hanc ob causam deserendus est, qui quondam nobis Amicus fuerat, & ab Amplexibus nostris arcendus, *Dissuatur* Reus potius, quàm *Rumpatur*, nempe (ut rectè HIEROCLES) *Nec ad inimicitiam provocabimus propter familiaritatem quæ præcessit, nec ad amicitiam adhuc, propterea quod ad illa quæ sunt deteriora defecerit.* Ita nimirum non tam Amicos nostros Deserere videmur *Deteriora sequentes*, quàm Illi Nos, in eâdem Virtutis Semitâ, quâ nobis cum aliquando Ambulabant, Progredientes.

p. 62.

Quem

Ὅφρα δύνη. δύναμις γὰρ ἀνάγκης ἐγγύθι ναίει.

Quantum poßis. Potestas enim prope neceßitatem habitat: i.e.

QUi necessitate cogitur, summam potestatem, totas vires exerit. Ἕκαστος ὧν σίεται δύνασθαι πλέον δυναμένος ὑπὸ τῆς Ἀνάγκης ἐλέγχεται. Heir. p. 65.

Voluit PYTHAGORAS, qui tibi *Intimus* est, non nisi Necessitare, *Divelli*, nempe (quod supra diximus) non nisi Virtutem abjecerit, sine quâ nequit consistere Vera AMICITIA: Cujus *Effigiem*, minùs Splendidam, & Ornatam, *Veram* tamen, & *Vivam* exhibui. Mihi quidem AMICITIA videtur rebus omnibus præferenda, præter Bonam *Conscientiam*: Summa *Voluptas* est DEUM & Meipsum Amplecti, Proxima huic, *Mei Similem*.

De Seipſo.

DOMINE MI, ET DEUS MI! Me Spiritu Tuo Qualem Feciſti vix Ipſe Scio: Mundo nimirùm, & Mihi Mortuus, Tibi Vivo; Quem Capiens Animus *Sentire* magis, quàm *Noſcere* dicatur: Actiones illæ, quibus maximè ſtudeo, *Ratione* Humanâ non innituntur, ſed Divinæ quodam Naturæ *Inſtinctu*. Sic (DEO *Agitante*) Promoti *Spiritus* Veſtigia Lumine CÆLESTI perſtringunt *Mentis* Aciem. Haud mirum igitur ſi Monſtrum Ego nonnullis videar, Ipſe quodammodo Ignotus Mihi: nempe qui Ducem Sequitur DEUM INVISIBILEM, Inviſibili etiam Viâ Progreditur. At cur iſta? DEUM Sequor Peccator Ego? Sequor equidem: in Viam Peccatorum quandoque *Relapſus*, *Regreſſus* nunquam. VITAM ſemper ÆTERNAM ſpiro: *Cælum* peto: in *Terris* licet, quaſi Limo tenaci, quandoque videantur hærere Pedes. Scilicet Peccatum nuper *Exulans*, dum Sedem antiquam repetere conatur, ab horrendo Animarum Inimico excitatum, in Exteriora Animæ, Affectus, incurſat; cujus tamen (DEI OMNIPOTENTIS Auxilio) continuum ſuperamus Impetum, & profligamus, Illi quotidie Spolia ampla referentes per quem *Sumus* * *plus quàm* Vi-

* Rom. 8. 37.

Victores. Sic ME relinquo, rejicio DIABOLUM, ut DEUM Sequar. Quod MUNDUM attinet, Bona ipsius Pauca Habeo, nec *Amo* illa, nec Plura *Cupio*: ita ut nec Inopiâ præsenti prematur Animus, nec premi possit Jacturâ gravissimâ: nec MUNDI Blandientis Cupidine Charissimos exuam DEI Amplexus, nec Metu Irati. Si quid Externum, nempe quod eripi possit, in deliciis haberem esset Illud *Nomen integrum*: sed *Dente Livido* quotidie Laceratur Meum: quod tamen (Charum adeo) tam gravitur Laceratum Patientia illæsâ ferens magis Gaudeo, quàm Integro illo Gaudere possem: nec certius puto *Madefacturam* Aquam; vel Ignem *Calefacturum* quæcunque in Illa, quàm Bona Mihi Me effecturum, quæcunque in Me Cadunt. Patientiæ vires jamdudum *Expertus Loquor*. Multorum Opprobria (Patientia non est Mala Non Sentire, sed ipsa quæ Sentimus *Gravia* Perferre) Me diu perpessum cernens DEUS, jussit tandem *Graviora* ferre. *Vicinum* Corpus *Ignis* quem meritus sum, *Infernalis* Emblemate, *Febre* exustum, & inde Pustulis demorsum Sensit *Animula* mea: Sensus interim, non Somno refectus, eo tantùm perdurare videbatur, ut totos possem Dolores capere: Tuli autem, licet Gravissimos, Hâc *Fide* innixus Mihi *Patrem* esse *Omnipotentem*, Morbi, & Salutis Authorem, Mortis, & Vitæ Dominum; ideoque non posse Morbum diutiùs manere, quàm esset Mihi Salus inutilis.

Ingruente Dolore Voces illæ PATER! PATER! è *Cælo* venientes, in *Cælum* remissæ, Gemitus, & suspiria evanescere fecerunt, ut reprimunt *Tonitrua* minores Sonitus. Ut primùm Convalescebam Ægrotescit, ut primùm Convalui, Moritur Ille, per quem mihi DEUS Vitam dedit: Quem non minùs *Amavi* Patrem, quàm *Dilexi*

Amicum: adeo ut Mihi *Ratio* ipsa (Passionum Moderatrix) Conciliis ejus, & Præceptis, Honestis, Doctis, Piis, tot annos suffulta, Moriente Illo concedere videretur Dolendi *Excessum*, Dolui equidem; & ab imo duxi pectore suspiria: quippe qui *Patrem* Deflevi; Deflevi *Doctum*, Deflevi *Pium*: quem scilicet fuisse novi (eheu! Fuisse!) non alio nomine minus CHRISTO in Terris degenti Similem quàm quòd rarò *passus* fit Invidiam & Opprobria. Amabant Omnes qui Omnes Amabat. Mors ejus Audita quam gravi percussit vulnere Aures illas, quæ unquam Loquentem Audiebant, *Privatim Suaviter, vel Publicè, Eleganter*, Pacifico Illo, Genii eximii Viro, qui *Stylo* suo tot ruptas aliorum *compegit* Amicitias, tot Sibi Claros; & Illustres Viros in Amicitiam conjunxit arctissimam, Illo inquam è Vivis decedente, qui scripta ejus unquam *Vidisset* vix *Oculus* credo carebat *Lachrymis*. Vir ille Clarissimus (absit dicto invidia) Solis instar *Splendebat* Omnibus, Ego autem Virtutis ejus, adeo Diffusæ, Contraxi *Radios*, ad proprium *Inflammandum* pectus: quod tamen (eheu!) quam *Tepidum* manet! Ah quoties monita sua memoranda, & egregia, his vocibus concluſit: *Fili, si DEI mandata observes feliciter agere nequaquam non possis.*

Hoc morbo laborans quo DEUS Corpus ab Animâ divulsit, & ad Se Animam attraxit, Solito majora præbuit Pietatis Indicia, Oculis nempe in Cœlum erectis, & voce Clamante DEUM: nec aliâ ratione cogitavi Illum tam citò *Terras* relicturum, quam quod adeò *Cœlestis* videretur cùm tantum non Sanum putavi, en subitò inter Loquendum *Apoplectico-paralysi* correptum video! tres inde dies languescens, semel interim solutâ Linguâ nempe in has voces *Domine! Domine!* tandem expiravit; & Quem Invocavit

DO-

DOMINI Amplexibus se Intimis implicuit Pientissima Animula. Quantis ærumnis, Curis quam variis involutum Luctu quàm alto demersum Me miserum relinquebat in *Terris* dum ipse scandebat *Æthera* Soli DEO libet Ostendere: nonnisi à DEO DEUS exhibetur Ploranti Homini Solamen, Vnicum Solamen hoc Tanti habeo, ut ejus gratiâ peramanda videatur vel ipsa Calamitas: quippe quæ Mærentem Urgebat ad Consolatorem DEUM sedulò Quærendum: Quæsivi & Inveni; & adeo quidem Invento Fruor ut tantùm non *Timeam* Non esse *Miser*, Scil: ne forsan in Prosperis carerem, quo in Adversis jam Fruor Gaudio. Singultus supprimam, abstergam Lachrymas: Ibi nunc Pater placidè Quiescit, Quò Ire contendo: nec ampliùs Ego Consiliis ejus & Præceptis carere ægrè feram, cum Frui liceat *Consultore* DEO. Quam hilari animo jam possum dicere Patre Terrestri orbatus, PATER *Noster qui es in Cælis Fiat Voluntas Tua.*

Omnipotens & Æterne DEUS, *Pater misericordiarum & Deus omnis consolationis*, Gratias Tibi ingentes habeo pro *Gaudio* Illo quod ex ipsa *Calamitate* in Animum meum transfudisti, quo sæpiùs fovisti *mærentia Pectora*. *Rursiora* quidem & *Syncera* magis *Interna Gaudia* proveniunt quæ veris DEI Cultoribus sub *Externo* Dolore Oriuntur: quæ nempe Gaudii *sensitivi*, seu *Terreni Fæce* carent, & cum non nisi à SPIRITU *Sancto* profluant, Suavissimo Sapore (Nobiliorem Animæ Partem) *Spiritum* delectant. O Me Fælicem! cui nihil *Dolet* præter Peccatum: Qui nihil *Cupio* præter DEUM: ita nimirum *Dolendo Lætor*, *Cupiendo Fruor*. DOMINE MI, ET DEUS MI! Hoc semper in votis habeo, hoc semper per JESUM Oro, ut ECCE TOTUS SUM TUUS, ET TU TOTUS SIS MEUS. Amen, Amen.

Mæstissi-

Mæstissima Sui Contemplatio Febre Tertianâ graviter laborantis, Patris, & Sororis Obitum tristius lugentis. 1660.

Ergone perpetuos retinent mea Pectora luctus!
Et semper miserum turbida Fata petunt.

Jam Lassata diu tandem Succumbere *cepit*
Heu, mea continuis Mens Agitata malis!

Ac simul Amittunt solitam nunc Membra Quietem:
Langueo Totus *Ego!* vixque ferenda fero!

Heu Flentes Oculos *Morbus jam fervidus urget,*
Curis Lassatum Lassat & ipse Caput!

Luctibus attritum Cor *nostrum sæva fatigat*
Febris: & in Gemitus *Spiritus omnis abit.*

Quod Placidis Animum Tristem Recreare solebat
Idèis Cerebrum *Languet & usque meum!*

Qui

Qui toties alios Docui Tolerare, *Dolores*
Heu quam Difficile eſt nunc mihi ferre meos!

Cor mihi quàm Molle *eſt, ex quo me* Contudit *ille*
Quem mihi CHARORUM Fata dedêre, Dolor!

Pectore quilæto pertriſtia ferre ſolebam,
Ah, mala me graviter *nunc* leviora *premunt!*

Quicquid in Adverſum Contingit Mens *capit Ægra,*
Non aliter quàm Ictus Saucia *Membra Novos!*

At tu Summe DEUS Lapſo Succurris: ab Imâ
Tu mihi Ploranti Gaudia Mente refers.

Scilicet exteriùs conſtrictas Frigore *Terras*
Natura interno ſæpe Calore *fovet:*

Sic Ego, dum Memet Gelidus *Dolor occupat, Imo*
Corde Focillantem *Sentio & ipſe DEUM.*

Tu ſemper mihi CHRISTE, Salus: Fruor ipſe Sereno,
Turbato Noſtro, Sanguine, *CHRISTE, Tuo.*

Ingentes ſuperant mærentia Pectora Luctus,
Pro Me Lugentem dum Video DOMINUM.

Omnipotens ideo IESUS Mala *Plurima Paſſus,*
Ut Mala *quæ Patior redderet Ille Bona.*

Hinc Mihi Amara Placent, *& maxima* Damna Juvabunt;
Quòd Jesum *Oſtendant* Triſtia *Cuncta Meum.*

Quam Miſer *Omnis HOMO eſt, jàm plenè Expertus, Amatè*
Ardeò Naturam Participare Dei.

Ergo Terra Vale! Sperno Terrena. *COLUMBÆ*
Pennis adiutus nunc ſuper Aſtra *Volo.*

In Salutem ſuam, ſummâ Omnipotentis Clementiâ, recuperatam.

FÆlices Illos, qui Jesu Suo Se Totos Credunt, & Solum reputant Miſeriæ Remedium Ipſum ardentiùs Amare, His Omnia Cooperantur in Bonum. Pauperiem, Agritudinem, Mundi ſævientis Odium, & Opprobria, quæ maxima pars hominum per Fas, & Nefas Fugienda putant, Hi placidè excipiunt: ac dum eadem Suſtinere neceſſe eſt, non tam *Tolerare* videntur, quàm *Frui*: nam *Perturbatio* Externa ut Aera *Tempeſtas*, Animum *Purgat*: CHRISTO nimirùm Se eo propiùs *Sancti* admovent, quo longiùs abiis amovetur, cui adhærebant, Terrena Conſolatio, Sin autem nec Corporibus eorum deſit Sanitas, nec Arcis Pecunia, nec Gloria Nominibus, Status hic etiam fit Illis Gratiſſimus: In Hoc enim, Bonis Studendo Operibus, *Sanctitatem* Oſtendunt in DEI Gloriam, In Illo *Sanctiores* evadunt, in Salutem ſuam. Omnipotens & Æterne DEUS Gratias Tibi ingentes habeo pro Omnibus Operibus Tuis. Rapido quidem, & Sæviente Morbo *Membra* Mihi nuper torquebas, vix *Animæ* diutiùs adhærentia, con-

cuſſa adeo, & vexata: Carne *Tabeſcente*, *Æſtuante* Sanguine. Gratias habeo pro Morbo iſto, habeo etiam pro Salute reſtitutâ. Fac autem Miſericors DEUS, ut, qui in *Umbra Mortis Lucidam* inveni Tui Præſentiam, ad *Lucem* illam, Maximam & Æternam totis aſpirem præcordiis, quam in ipſâ Morte Sancti invenient, ut præſens Vita ſit Bene Moriendi *Studium*, & ipſa Mors Vitam præbeat Æternam.

De

De EVANGELII Prædicatione Pia Cogitatio.

QUid aliud eſt *Evangelium Prædicare*, quàm Hominibus in ADAMO *Corruptis Naturam* Per CHRISTUM *Novam* Offerre, *Cæcis Lumina*, *Mortuis Vitam?* Eos Sermones quam *Pura* formarent Pectora, qui eſſent quodammodo DEI *Vehicula* ad Animas Humanas Venientis ut *Mortuas* eaſdem ad Vitam excitet, & *Curvas* in Terram ad Cælum erigat? Heu! heu! Eo ipſo Pectore quoties, ah quoties Maleficia perpetranda Cogitavi, quo illæ nunc *Phraſes* formandæ ſunt, quæ Veritatis *Salutiferæ* Pretioſam referrent Imaginem? DEUS OMNIPRÆSENS E *Cælo Deſcendit*! *Mortem* Paſſus eſt IMMORTALIS! Talia nimirùm Animus quàm Purus cogitaret, quàm Pura proferret Lingua! Heu! heu! Vel adhuc Nos turpi Vitiorum laboramus *Scabie*, quæ dum in intimum ſecedens *Fomitem*, remota videtur, eheu, aliquando recolligit ſe, & in *Vlcera* tumeſcit. Domine, Miſerere! Domine, Miſerere! Radicitus erue Peccata Mea, ut Ope Tua, Aliena eruere fortiùs enitar. Amore Tui, Mi Deus, Amore Tui, uſque adeo *Ardeſcat* mihi Animus,

ut in *Cerebrum* ipſum, & inde in *Linguam* erũmpant flagrantioris Affectus *Igniculi*; nempe ut Auditorum meorum Pectora *Illuminare* poſſim, & *Incendere*. Nil fit aliud Prædicatio Noſtra, quàm Interioris Hominis SPIRITUS *Articulatus*, ſeu AMOR, ſe dans in *Aera*, ut in Aliorum *Aures*, & Animos Tranſvolet; Manens interim in Animo Meo, quippe INFINITUS eſt, nec ipſo *Movetur Proceſſu*. *Floſculos* Apage Rhetoricos, & *Oratoria Ornamenta Dicendi*: Clariùs certè, quo magis *Nuda* eſt, Splendet Oratio, cùm *Subjecta Materia* ſit Ipſa LUX. Odi autem eorum Sententiam, qui pro Nudâ Veritate minùs Cogitata proferunt, & pro *Simplici* Sermone jactant *Barbariem*. At, hâc in re quid mihi velim, facilius eſt *Facere*, quàm *Exprimere*: Prædicandi Formula verè CHRISTIANA, ut ipſa *Religio*, ſit *Myſtica*. Hic mihi videtur rectam Prædicandi Viam Ingreſſus, qui Aliena Non Obſervare Didicit Veſtigia: Etenim qui Vagos Suos, & Aliorum Affectus *Sagaci* Veritate perſequitur, multoties neceſſe eſt omnem relinquat Tramitem. Domine Mi, & Deus Mi!

Quid mihi faciendum ſtatuo, Tu noſti probè; ſi Iniquum ſit, Corrige, ſi Rectum, Perfice: Atque ipſum Evangelium, quod Mihi tradidiſti, in Nomine Tuo, Aliis Prædicandum, fac, quæſo, ut *Spiritu* Tuo adjuvante, Inſpiciam uſque in Animi Mei Tabulâ *Digito* Tuo Scriptum, ut Mihi nil magis horrendum & *Fugâ* dignum videatur, quàm in *Concionibus* componendis, Famam captare, aut ob aliquam rationem, quicquam effingere, niſi quod ad DEI INFINITI Gloriam Spectat & Animarum Immortalium Salutem.

FINIS.